LANDES UND STADT BIBLIOTHEK DUSSELDORF
Syst. Th. IV. 643 : 1/12

Ad Lectorem.

TUo bono, Studioſe Adoleſcens, confectus eſt libellus præſens. Annus Sanctus dicitur; tum exemplo ab aliis Authoribus petito, tum quod obſervata tot virtutum exempla convenientem Studioſo ſanctitatem certò ſint allatura. Exempla è ſolis Adoleſcentum vitis decerpta ſunt, ut eò faciliùs ad premenda eorum veſtigia animeris. In dies ſingulos digeſta ſunt, ut habeas indies, quod legas & imiteris. Levia hinc inde occurrent; ſed cave idcirco contemnas. Levi etiam in re ſemetipſum vincere Deo gratiſſimum eſt. Inſpice, & fac ſecundum exemplar; Potuerunt iſti & iſti: cur non & tu? Interſeruntur hinc inde hiſtoriæ aliquot tragicæ, ut ſalubrem in te terrorem excitent. Fidem habeant illam, quam apud Authores citatos. Omnia juxta Decretum Urbani VIII. 5. Jan. 1631. Vale. Ad ſalutem tuam utere.

Anni

32.9.193
1372 512 01